

tura, quam subscribendam exhibet, contineri suum testamentum. arg. cit. l. *Hac consultissima*. c. h. t. ibi: « Dum tamen testibus presentibus, testator suum esse testamentum dixerit, » quod offertur. Idque rursus ad evitandam fraudem, quæ aliud supponendo testamentum, fieri posset.

24. *Debet etiam se subscribere, vel octavum testem loco ipsius subscribentem adhibere.* — Sexto requiritur, ut testamentum id exhibitum « ipse testator manu propria subscribat: aut si litteras ignoret, vel subscribere nequeat, » octavum testem, qui nomine ipsius subscribat, adhibeat, cit. l. *Hac consultissima*. Nisi forsitan ipsemet prius totum testamentum manu propria conscripsisset, prout diximus supra n. 11. Quamvis et in hoc casu melius atque securius fiat, si ipse testator nomen suum subscribat, vel per octavum testem subscribi faciat.

25. *Testes omnes manu propria subscribere debent: limitatio aliqua pro rusticis.* — Septimo requiritur, ut quivis testium nomen suum manu propria subscribat, § *Sed cum*. 3. Instit. *de Testam. ord.* l. *Hac consultissima*. 21. c. h. t. et l. *Ad testium*. 22. § 4. ff. *Qui Testament. faceret*. ibi: « Si quis ex testibus nomen suum non subscripserit, pro eo est, atque si adhibitus non esset. » Concordat, l. pen. ff. eod. Rusticis tamen in loco, ubi tot testes scribere scientes habere non possunt, conceditur, quod testes litterarum periti, loco aliorum litteras non callentium subscribere valeant. l. fin. c. h. t. Quod privilegium civibus in civitate, vel oppido, ubi litterarum viget scientia, ibidem denegatur. Imo nec rusticis suffragatur, casu quo testes litterarum periti haberi possunt, cit. l. fin. c. h. t. ubi rusticis dictum privilegium concedendo sic ait: « Ita tamen, ut ubi scientes litteras inventi fuerint, septem testes adhibeantur, si unusquisque pro sua persona subscribat: ubi autem non inveniuntur litterati, septem testes etiam sine scriptura admitti, » etc., et infra: « Si vero unus, vel duo, vel plures fuerint litterati, liceat eis pro ignorantibus litteras, presentibus tamen subscriptionem suam interponere. »

26. *De jure Bavarico potest unus testis pro alio litterarum ignaro subscribere, dummodo saltem major pars testium propria manu subscribat.* — De jure Bavarico etiam aliis non rusticis, atque in loco, ubi litterati testes haberi possent, universaliter et absolute conceditur, ut quotiescunque ex convocatis testi-

bus, aliqui scribere non sciunt, reliqui testes litterarum gnari, eorum loco subscribere valeant; ita tamen ut semper adsit major pars, qui litteras sciant, propriaque manu se subscribant: ac insuper, si pro alio quis subscribit, expresse addat, quod, quia hic, vel ille testis scribere ignorat, rogatur ab eo, ejusdem loco subscripserit: Quod idem, si unus pro alio sigillum non habente suum apponit sigillum, observari mandat; uti videre est tit. XXXIV. a. 1. ibi: « Hette aber in Zeug kein eigenes Sigill oder Petschafft, oder kunte nit schreiben, so mag wol ein anderer Zeug, sein Sigill fur ihme, und in seinem Namen gebrauchen, und also dasselhe zweymal anhängen, oder fur drucken, auch sich fur ihme unterschreiben, doch dass in dem unterschreiben solches ausdrücklich gemeldet werde, wie nemlich sein Mitzeug kein eignes Sigill habe, oder nit schreiben konte, und desshalben ihne solches fur ihne zu thun erbetten habe. »

27. *Testes non tantum suum, sed etiam testatoris nomen in subscriptione exprimere debent.* — Porro ut subscriptio rite fiat, requiritur insuper de jure communi, ut singuli testes in subscriptione non tantum suum, sed etiam testatoris nomen expriment, et annotent, l. pen. ff. *Qui Testament. facere* ibi: « Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis et cujus testamentum signaverit. » Quamvis non desint docentes hanc textum quoad expressionem nominis testatoris non continere præceptum, sed consilium, eo quod terminus *convenit*, et non terminus *debet*, vel æquivalens adhibeatur. Verum securius est, ut et testatoris nomen exprimat. Jus Bavaricum circa hoc punctum ita disponit, ut si duo primi se subscribentes testes præter nomen suum etiam nomen testatoris expresserint, simulque falsi sint, se a testatore audivisse, quod in præsentibus charta, ultima ejus voluntas contineatur, sufficiat, si reliqui testes solum suum nomen adscribant, simulque addant se fateri, et testari, uti præcedentes. tit. XXXIV. a. 1. *Ad finem*, ibi: « Wann die zwey erste Zeugen ausdrücklich in ihrer Unterschrift gemeldet, dass der Testator (cujus nomen exprimitur) welcher massen in folgendem Libell sein letzter Will begriffen seye, bekennt, so ist genug, dass die andere Zeugen in ihren Unterschriften melden, sie bekennen, wie die vor unterschriebene Mitzeugen.

28. *Et quomodo?* — Colliges pro praxi, sequentem subscribendi formulam testium, juri communi, et Bavarico conformem esse: Ego N. (scribatur nomen testis) testor, quod ab N. (scribatur nomen testatoris) audiverim in præsentibus libello et charta contineri suam ultimam voluntatem. Qua, vel simili formula de jure communi subscribere debent singuli testes: de jure Bavarico autem saltem duo primi; reliquis sufficienter ita subscribentibus: Ego N. (exprimitur nomen) testor, ut primi contestes.

29. *Omnes testes etiam signare debent testamentum sigillo proprio vel alieno.* — Octavo requiritur, ut omnes testes subsignent proprio annulo, vel sigillo, si habent, vel alterius, si proprio carent. § *Possunt*. 3. et 5. Instit. *de Testam. ord.* et l. *Hac consultissima*. 21. c. h. t. ibi: « Non signatum testamentum pro infecto haberi convenit. » l. *Ad testium*. 22. ff. *Qui Testament. facere*. § 4. ibi: « Si quis ex testibus nomen suum adscripserit, non tamen signaverit, vel e contra, pro eo est, ac si adhibitus non esset. Possunt autem (dicitur § 5. Instit. *de Testam. ord.*) omnes testes et uno annulo signare testamentum, etc. sed et alieno quoque annulo signare testamentum. » Imo, « si ab ipso testatore annulum accepero, et signavero, testamentum valet, quasi alieno signaverim, » ait legislator cit. l. XXII. § 2. *Qui testament. facere*.

30. *Sive sit annulus, sive aliud sigillum.* — Hinc inutiliter aliqui controvertunt, an ad signandum, necessario adhiberi debeat annulus, an vero sufficiat aliud sigillum? Nonnulli enim putant annulum necessario adhiberi debere, eo quod leges ubique de annulo solummodo mentionem faciant: imo l. XXII. § 5. ad finem expresse decidatur, « magis esse, ut tantum annulo quis possit signare. » Verum sententia dicens etiam aliud signum seu sigillum sufficere, communior ac probabilior huc usque recepta, et consuetudine universali roborata est. Ratio est, tum quia ad finem legis, evitandas nempe fraudes, et dolos in testamento penitus nihil refert, an signo rotundo, annulo scilicet, an vero quadrato quis utatur: tum quia legislator per annulum intellexit quodvis sigillum, aut signum, cui forma et effigies pro usu signandi impressa est; uti colligitur ex cit. l. XXII. § 5. *Ad finem*. ff. *Qui testament. facere*. ibi: « Dum habet annulum, id est formam, inculptamque signis imaginem: » ut

proin leges præscribendo annulum, solummodo excludere voluerint alia instrumenta effigie destituta, atque ad alios fines, quam obsignandum destinata. Vinn., ad § 5. Instit. *de Testam.* 3; Ludwel., *de Ultim. volunt.* p. II. cap.; Pirhing, h. t. n. 4, et alii. Accedit, « consuetudo, quæ est optima legum interpretres. »

31. *Qualis subsignatio, qualeque sigillum de jure Bavarico requiratur?* — Statuta Bavarica *Landrecht*. cit. tit. XXXIV. a. 1. in puncto subsignationis rursus differunt a jure communi, dum volunt, ut saltem major pars testium proprio sigillum suum apponat, hoc in subscriptione exprimat: prout liquet ex verbis formalibus relatis supra n. 26. Insuper differunt, quod juxta eadem tit. XXXIV. a. 1, non sufficiat quodvis sigillum testis proprium, sed requiratur, ut testis sigillum ordinarium habeat, cassidem, et arma, « Schildt und Helm, » consequenter sigilla, in quibus sacerdotes calicem, Pistores spiram, cerevisiarii spatham suam habent, ad testamentum solemne scriptum in Bavaria non sufficiant, uti bene advertit excellentissimus dominus Schmidt, ad cit. a. n. 19. et Klingensperger, lib. II. tit. X. q. 22.

32. *Nec dicas ex hoc sequi, quod in dicta Bavaria pistores, cerevisiarii, laniones, alique cives communes vix unquam possint esse testes in testamento solemniter scripto; cum plerique non nisi similibus insufficientibus sigillis ordinarie utantur.* Nam contra est, quod præfati cives in casu testamenti solemniter scripti aliquem ex contestibus requisitum sigillum habentibus rogare, ut ejusdem nomine subsignet, prout ipsa Bavarica statuta loc. cit. præscribunt, ac concedunt dummodo major pars testium sigilla requisita habeant, eaque apponant.

33. *Totum negotium debet uno contextu absolvi, nullo actu extraneo interveniente.* — Nono requiritur, ut totum negotium testamenti solemniter scripti uno eodemque tempore, unoque contextu, nullo extraneo ad factionem testamenti non pertinente actu (excepto actu necessitatis naturalis juxta dicenda infra n. seqq.) coram omnibus testibus simul in unum congregatis, audientibus, et videntibus absolvatur, claris juribus § *Sed cum*. Instit. *de Testam. ord.* ibi: « Constitutum est, ut uno eodemque tempore, septem testibus adhibitis, et subscriptione testium signacula testamenti apponerentur. » et l. *Heredes*. 21. § fin. ff. *Qui testament. facere*.

ibi : « Uno contextu actus, testari oportet, est autem uno contextu nullum actum alienum testamento intermiscere, » et *Hac consultiſſima*. 21. c. h. t.

34. *Exceptis actibus corporalis necessitatis*. — Admittuntur autem actus, quos vel necessitatis corporalis, vel sanitatis causa ab ipso testatore forsitan ægroto, vel urgente natura, ab aliquo testium fieri contingit, ita tamen, ut actus quem exercet testis aliquis, brevis sit, prout providentiſſime, simul ac prudentiſſime sancitur, I. *Cum antiquitas*. 28. princ. c. h. t. illis verbis : « Si quia autem necessarium venerit, et ipsum corpus laborantis (testatoris nempe) respiciens contigerit, id est, si vel victus necessarii, vel portionis oblatio, vel medicaminis datio, vel impositio, quibus relictis ipsa sanitas testatoris periclitetur, vel si quis necessarius naturæ usus ad depositionem superflui ponderis immineat, vel testatori, vel testibus, non esse ex hac causa testamentum subvertendum, licet morbus comitialis (quod et factum esse comperimus) uni ex testibus contigerit; sed eo quod urget, et imminet repleto, vel deposito, iterum solita per testamenti factionem adimpleri. Et si quidem a testatore aliquid fiat testibus paulisper separatis; cum coram his facere aliquid naturale testator erubescat : iterum introductis testibus consequentia factionis testamenti procedere. Si tamen in quemdam, vel quosdam testium aliquid tale contingat : si quidem ex brevi temporis intervallo necessitas potest transire, iterum eorumdem testium reversum expectari, et solemnia peragi sancimus; sin autem longiori spatio refectio fortuito casus indigeat; et maxime si salus testatoris, periclitantis immineat, tunc illo, vel illis testibus, circa quos aliquid tale eveniet, separatis, alios subrogari, et ab eo, vel ab eis tam testatorem, quam alios testes sciscitari, si ea, quæ eorum præsentiam antecedunt, omnia coram ipsis processissent. Et si hoc fuerit undique manifestum, jubemus tunc eos, vel eum una cum aliis testibus, ea, quæ oportet facere, etsi in medio subscriptiones testium jam fuerint subsecutæ. » Hactenus verba legis, quibus, cum sint clara, nihil addendum videtur.

35. *Compendiosa notitia, et instructio de condendo testamento solemnè scripto*. — Ut autem breviter sciatur, quænam solemnitates ad testamentum solemnè scriptum requirantur, et quomodo fieri debeat, hinc pro praxi

in compendio brevis fit recapitulatio, ac instructio. Quicumque ergo facere intendit testamentum solemnè scriptum, I. Cogitet, et se resolvat, quem velit honorum suorum hæredem scribere, ac instituere, et cui velit legare. II. Resolutione apud semetipsum facta, testamentum, hæredem nempe, atque legata (si quæ facere vult) scribat, vel per alium scribere faciat, antequam testes convocet, ne testes nimium expectare debeant : quamvis si velit, etiam præsentibus testamentum suum dictare, vel scribere valeat. III. Testamento conscripto, testes ad testificandum convocet, vel si jam adsint, eos, ut testificentur, roget, vel requirat, ac morfeat : dicendo v. g. Patroni, vel domini, vel chari vicini, vel amici, etc. cogito facere testamentum, vel ultimam dispositionem circa bona mea temporalia : quapropter rogo vos, ne gravetis hujus esse testes. IV. Testibus rogatis, dicet, vel scribat suam ultimam voluntatem, si prius non est scripta : si vero (quod melius est) prius jam fuit scripta, ostendat, vel exhibeat testibus papyrum vel chartam, in qua ultima ipsius voluntas continetur, ita compositam, et convolutam, ut testes, quid contineatur in ea, legere non queant (casu quo, sicuti potest, testes latere vult, quod disposuit) dicatque coram eis, et contestetur, quod in hac, quam exhibet, vel ostendit, charta aut papyro, contineatur ejusdem ultima voluntas. V. Hoc pronuntiato ipsemet coram dictis testibus præsentibus propria manu nomen suum subscribat, vel si scribere amplius nequeat, aut non sciat, per testem octavum ad id specialiter convocatum, suo nomine subscribi faciat, nisi forsitan propria manu totum testamentum prius ipse scripsisset? hoc enim in casu nec propria, nec alterius manu proprium nomen scribere necesse erit, quamvis expediens, ac melius sit. VI. Nomine proprio subscripto, etiam testibus subscribendam offerat a se subscriptam testamenti chartam, ita tamen dispositam ac convolutam, ut solum vacuum, in quo testes subscribant, appareat spatium, testibus, quid contineatur, nihil legere valentibus, nisi contentum eisdem manifestare libere velit. VII. Testes omnes ac singuli in vacuo ad subscribendum relicto chartæ spatio, successive manu propria subscribant, simulque sigillum suum, si quod habent, aut ab alio commodatum apponant. Nec refert de jure communi quale sigillum sit, bene vero de jure Bavarico, ubi necessario requi-

ritur sigillum cum casside et armis « Schild und Heim. » Si quis testium scribere nequeat, ad testificandum de jure communi in testamento solemnè scripto inhabilis est, excepto testamento rustici, quod fit in loco, ubi litterati haberi nequeunt. De jure Bavarico autem ignorans litteras contestem, ut nomine ipsius subscribat, rogare potest in quovis testamento; dummodo major pars testium manu propria subscribat, et qui pro alio subscribit, hoc in subscriptione exprimat. Si quis vero proprium sigillum non habeat, tam de jure communi, quam Bavarico contestem, ut pro se subsignet, invocare potest, hoc discrimine, quod de jure communi sufficiat quodvis sigillum, nec requiratur, ut major pars testium proprio sigillo utatur, neque ut in subscriptione mentio fiat, quod subscriptio alieno sigillo facta sit. De jure Bavarico autem major pars testium sigillum cum casside et armis necessario habere, et apponere debet, a quibus dein cæteri testes simili sigillo carentes, hujusmodi, et non aliud commodatum accipere, simulque in subscriptione exprimere debent, quod proprio debito sigillo carentes, alio sint usi. Tandem observare debet, ut cuncta hactenus recensita uno tempore, unoque contextu, nullo alio actu extraneo (nisi aliud naturæ necessitas exigat) interveniente, coram testibus omnibus simul congregatis et debite præsentibus fiant : excepto, quod testamentum prius conscribi valeat.

36. Postquam autem testamentum dicto modo rite habetur confectum, necesse ulterius non est, ut etiam ad extra sigillo aliquo testatoris, vel alterius signetur, et claudatur. Quamvis, si velit, id facere possit, et ut faciat, consultum sit, ne quis aliud apertum videns legere possit. Dum tamen ad extra quis sigillando illud claudit, expedit ut etiam brevi aliqua subscriptione, quod intus contineatur testamentum, indicet : scribendo v. g. testamentum N. N. scribat nomen, et cognomen suum.

37. *Non requiritur ad illud notarius publicus, quamvis consultum sit, ut adhibeatur*. — Pariter, quamvis necesse non sit, ut ad testamentum solemnè scriptum adhibeatur notarius; cum a jure nulli requiratur, uti bene notant doctores nihilominus consultiſſimum est, ut adhibeatur ad conficiendum testamentum publicum super negotio, et solemnitatibus testamenti rite observatis. Hoc

enim nisi fiat, et interea, ante mortem nempe testatoris unus, vel plures testes morerentur totum testamentum corrueret, vel periculosissimæ liti exponeretur : quod totum evitatur, si notarius adhibetur, utpote cujus instrumento publico fit, quod testamenti valori nihil obsit, etsi plures, imo etiam omnes testes ante testatorem morerentur. Hinc recepta praxis habet, quod in omni testamento solemnè notarius publicus adhibeatur. Quod ipsum statuta Bavarica *Land-Recht*, tit. XXXIV. a. 3. summopere suadent. Debet autem notarius ad interessendum confectioni testamenti, et erectionem instrumenti publici specialiter etiam requiri, ac rogari, hoc ipso quod si persona publica, quæ officium suum non impertitur nisi rogata, prout communi aliorum bene observat Schmidt, ad cit. tit. XXXIV. a. 1. n. 3.

38. *Notarii officium quod?* — Porro officium notarii est, ut bene attendat, num solemnitates debite observentur, et rite observatas instrumento inserat.

39. *Dissuadet testamentum solemnè scriptum : et quare?* — Et ex hactenus dictis colliges, quod cum valde multæ solemnitates, ac juris subtilitates ad testamentum solemnè scriptum requirantur, erroresque facillime contingere valeant, consequenter periculoliti-giosæ impugnationis vix non semper subiectum sit, tale testamentum nulli consulendum sed potius dissuadendum sit : e contra suadendum testamentum ad acta, seu judiciale, utpote in quo auctoritate publica non tantum suppletur omnes defectus solemnitatum, sed etiam idem, qui per testamentum solemnè scriptum, haberi potest finis, videlicet, ut testes etiam lateat, quid testator per ultimam suam voluntatem statuerit : cum ut infra dicetur, in scriptis ad extra sigillo testatoris clausum tradi possit, ita ut nec iudex, nec quis alius de contento aliquid scire valeat.

## § III.

DE TESTAMENTO SOLEMNI NUNCUPATIVO, ET SOLEMNITATIBUS AD ILLUD DE JURE CIVILI REQUISITIS.

40. *Ad testamentum nuncupativum plus non requiritur, quam ut adsint septem testes idonei*. — Quæritur I. Quid sit, et quales requirant solemnitates testamentum solemnè nuncupativum, « zu einem vom Mund ausgespro-